NATALIS LASTESII MAROSTICENSIS CARMINA

Natale Dalle Laste

Google

(32 Sch.

NATALIS LASTESII MAROSTICENSIS CARMINA.



PATAVII. CIƆIƆCCLXXIIII.

TYPIS JOSEPHI COMINI.

SUP. PERM.

694

LECTORI.

Vetus opinio eſt, bonus qui ſit orator, poetam eſſe non bonum. Sit ſuum cuique judicium; atque illa etiam videatur Muſa M. Tullii. Laſteſius quidem videtur hac ætate utriuſque facultatis laudem in primis aſſecutus. Nam & oratorem diſertum ejus vel paucæ declarant Latinæ orationes; & earum Apollini hæc produnt carmina ſane pauciora. Scripſit enim perraro, neque fere niſi rogatus; eaque homo ingenii minime ventoſi prorſus neglexit. At collegit paſſim diſperſa Joſephus Farſetius Hieroſolymitanus Eques Ba-

julivus ; ſcriptoris ingenio videlicet delectatus , qui ſe ad Ciceronis , optimorumque poetarum tam variam imitationem totum finxerit . Edi etiam juſſit , non quidem venalia , verum quæ ſuis donaret , & politiorum litterarum amicis : magni vir animi , qui clarus & ipſe vates ſuæ conſcius laudis conſulat etiam alienæ . Modicæ , inquis , epulæ ; ſed quæ verendum tamen ſit , nauſeam ne ſæculo moveant ad Latina quæque faſtidioſiſſimo .

Apol-

Google

Apollo Vaticanus
apud Philippum Farſetium.

HOc formæ decus, hos vultus, & Apollinis artus,
Qui tibi te rapiunt hærentem oculiſque animoque,
Humano ingenio fictos ne crede, manuque
Mortali. Deus ipſe, Deus hæc munera terris
Oſtendit. Nanque artifici, dum pectore verſat
Eximias ſpecies, & pulcri quidquid ubique eſt,
Multa movens, Parioque anceps in marmore pendet,
Sollicito curis, ipſumque in vota vocanti
Adſtitit ante oculos manifeſto Numine Phœbus;
Qualis Cœlicolas inter, ſeu vertice Pindi
Laurifero nitet intonſus, lætuſque juventa.
Olli caligo eripitur diſcuſſa repente
Terrenos hebetans viſus. Cœleſtia membra
Et flavos crines, divina & Apollinis ora
Lætitiaque metuque amens, ſuæ & immemor artis
Spectat hians. Vix tandem animis cœloque recepto
Aggreditur ductante manum clam Numine. Jamque
Apparet ſummo (viſu mirabile) ſaxo
Linea ſponte ſua, talos quæ a vertice ad imos
Exiguo, ſollers opifex qua rite ſequatur,

Singula deſignat ſulco, flexuſque, ſinuſque,
Et varios nexu facili complectitur artus.
Ecce autem primos ferri molleſcit ad ictus
Marmor, cœſa cadunt ultro molimine parvo
Fragmina, nec tenues levis aſſula verberat auras.
Ter reprimit dextram ſacra formidine ſculptor
Attonitus monſtris, ter ſanctum Numen adorat;
Mox tamen illius monitu fidentior urget.
At lapis argillæ, vel ceræ ductilis inſtar
Membrorum formas docilis ſe ſe aptat ad omnes:
Nunc æqua in ſpatia excurrit, nunc tramite vergit
Devexo, nunc ſe leni diſcrimine tollit:
Hic junctura decens, hic prodit muſculus, illic
Parva monent oculos tecti veſtigia nervi.
Et jam divina perfectum Numinis arte
Se ſe oculis aperit ſimulacrum; aptique viciſſim
Hinc atque hinc extant humeri, diffuſaque ventis
Et læna & pharetra a tergo, niveique lacerti,
Brachiaque, argutæque manus, & leniter ungues
Tornati ad ſummos digiti: tum pectus utrinque
Diductum, preſſumque latus, viſumque moveri,
Et tenerum femur aſpectu, juvenilia membra,
Et ſuræ teretes, & levia crura pedeſque
Concentu miro. At capitis laus eminet una

An.

Ante alias. En cæſaries, quam ſpargere poſſit
Aura levis, premeret niſi nodus tempora circum.
En facies, nec viſa prius mortalibus ora
Digna Deo. quam ſuavis honos ſtat fronte ſerena!
Gratia quanta oculis vixdum ſtridente ſagitta
Eminus in metam conjectis! atque venuſtas
Quanta genis! jam jam ſpirat, jam lumina torquet,
Jam loquitur; nati decepta & imagine mater
Iret in amplexus Latona: nec abnuat ipſa
Se ſe opifex pulcri victam Natura fateri.
Ipſe auſpex operis ſucceſſu lætus Apollo
Ætherium decus, æternum floremque juventæ
Afflat, & ambroſio conſpergit marmora ſucco,
Et donat Boreæque minas, imbreſque, niveſque,
Et flammas, ævi & noxas contemnere longi.
Tum ſe ſurripuit, craſſuſque refunditur aer
Artifici. Stupet, & luſtrat ſcalprumque manuſque
Infaetas operis tanti, nomenque profanus
Ipſe ſuum refugit ſacrato incidere ſaxo.
Præcipue effigiem admirans immobilis adſtat
Neſcius expleri; ſtatuam tibi & invidet uni
Pygmalion, potuit quæ veras edere voces.
Cum ſubito quaſſare comam, viſumque micantes
Intendiſſe oculos ſimulacrum, intuſque moveri

 In-

Infuſo per membra Deo ; ſacriſque canebat
Ceu ſæpe ex adytis , ſic ſatis ora reſolvit.
Non iſto Rhodos , aut Sicyon , bimariſve Corinthi
Munere ſe jactent arces. Tibi , Martia Roma ,
Hoc tibi fatidicus jam nunc deſignat Apollo ,
Porticus auguſtum tollet qua Octavia templum ,
Dira lues Latio atque Italis cum ceſſerit oris.
Nec mihi tam Delphi , natalis & inſula cordi ,
Quam Tiberis ripæ fuerint , & Cæſaris ædes :
Nec Smyrne feret , aut Lesbos , ſed Mantua vates ,
Et Venuſinus ager. Stabit mea rite dicatis
Interea effigies aris , ſuper una futura
Delubri excidio ſeros me vindice in annos.
Nanque Myronis opus , Tiſicratis , atque Leonti ,
Et Lyſiæ , & Canachi , Timarchidis , & Calamidis ,
Digna omnes Phœbo licet auſi marmore & ære ,
Abſumi patiar tandem ævo. Huic uſque vetuſtas ,
Parcet edax , captæ parcent incendia Romæ ,
Direptaque fureos non ipſe Alaricus in urbe
Audebit temerare manu , nec lædere ferro
Pythonis caſum veritus , certaſque ſagittas.
Scilicet antiquæ exemplar mirabile ut artis
Excitet Italiam , laudiſque incendat amore
Hinc Urbinatis , Bonaroti hinc æmula virtus.

Jam-

Jamque peregrinis me ſedulus hoſpes ab oris
Deſcribet creta : niveos at marmoris artus
Attrectare nefas , ſolidaſque educere formas ;
Donec vitales ineat volventibus annis
Magnanimus caruſque Diis Farſetius auras ,
Etruſcis fulgens atavis , quos Maſſa vetuſto
Lunai e portu excipiet , dein alta Quirini
Mœnia , tum mediis urbs quæ dominabitur undis.
Hunc mea membra ſinam fuſo circumdare gypſo ,
Litus ad Adriacum Græcas cum transferet artes
Pollicitus meliora ſuis. Quin ipſe magiſter
Ultro adero artifici , digitis & plaſmata fingam ,
Prodeat inverſis ut imago ſimillima ſignis ,
Gypſeus , an dicar Parius diſcrimine nullo.
Ille mihi contra quos gratus conſeret hortos
Regifico luxu , herbarum genus omne peritus
Atque alio natas ſub ſole educere plantas !
Quos fontes , quos ille lacus , & amœna viarum
Inſtituet ! quæ Pomonæ , quæ munera Floræ !
Aonium nemus haud altis longo ordine cedris,
Myrtiſque & lauris , Salæ non Theſſala Tempe
Prætulerim . Libeat magni nunc rura Philippi
Viſere , nunc latus qua rivus dividet urbem
Atria mirificis luſtrare ornata figuris,

Graji

Graji quæ ingenii, quæ ſint exempla Latini:
Undique diſcendi ſtudio quo nava juventus
Conveniet, ſua Mæcenas & præmia ponet,
Alter ut exſurgat Phidias, atque alter Apelles.
Illa renidebit noſtra quoque imagine ſedes;
Illa mihi ſit certa domus, ſe Julius olim,
Andreas unde, & Coſmus dilecta Minervæ
Ingenia extulerint Italas celebrata per oras:
Unde mihi ante alios teneris jucundus ab annis
Joſephus, Tiberi atque Arno qui proluet ora,
Deliciæ Aonidum; doctæ facundia linguæ
Suavior Hyblæo cui melle, & purior auro.
Huic ego ſerta paro; comes hunc ſequar uſque Britannos
Fidus ad extremos, ſeu culta morabitur illum
Gallia, ſeu viſet Batavos, urbeſque, viroſque,
Et ſtudia, & mores, & leges diſcet, & artes,
Ut referat lectas peregrino e litore merces.
Hunc reducem mirata ſuis Florentia faſtis,
Atque addet Cortona ſuis: mox tradet & enſem
Et titulos Melite, cum tuta per otia Muſis
Gaudentem procul a vulgo, curiſque ſolutum
Mars Equitem poſcet caſtris ad ſplendida ſigna:
Hac ſed lege tamen, ne parcat ſive Latina
Pangere dulce lyra carmen, ſeu malit Etruſca.

Nunc

Nunc luſus amet atque ſales , nunc grandia facta,
Nunc & Seriolæ mutatas dicere formas;
Quæque canent Afri & Siculi ſylveſtria vates,
Atque Philoctetæ miſeros expromere queſtus
Auribus Auſonidum. Domus o Farſetia ſalve,
Magnanimum quæcumque ferent tibi ſæcla Philippum:
Tuque adeo ſeris cultor mihi debite fatis
Salve Eques. Hæc Phœbus , preſſoque obmutuit ore.
At faber ignotas perculſa mente volutat
Ambages , & prodigiis cœleſtibus actus
Dedicat arcitenens ſtatuam tibi Apollo , nec ultra
Moliri auſus opus ſcalprumque artemque reponit.

Ad Sigiſmundum Streit
de morte Conradi Hoffman Norimbergenſis.

DUdum ſeceſſu Patavino lætus , & horto,
Et fluvio , extremus qua Maximus otia tuta
Dat tacita regione , ſenum optime Sigiſmunde,
Jam ſtudio lucri ſapiens , curiſque relictis,
Dum frueris parto incolumis , viridique ſenecta
Hoffmanno vitæ ſocio , Hoffmanno uſus amico;
Ah felix nimium , fortunæ es viſus iniquæ!
Nam dulcem rapiens ſocium , dulcem invida amicum

Gau-

Gaudia tot rapuit : nec opum te jam ulla voluptas,
Otia nec Patavi tangunt ; ſed luctus, & ægra
Cura premit, ſoliſque in tectis orba ſenectus.
Quin horti facies, loca & ipſa ſilentia mentem
Defigunt ; nota luduntur imagine ſenſus,
Conraduſque die, Conradus nocte recurſat.
Hic legere, hic ſolitus meditari ; hic ille Suarti
Ingeninm narrare, atque aurea dicta magiſtri.
Quæ lecta, aut quæ viſa memor, quæ audita ferebat
Quam leni alloquio, quam oculos humanus & ora!
Sedimus hic, varioque diem ſermonem fefellit,
Cum quos mater alit Germania, & ordine Belgas,
Et gelidos Danos, moreſque referret & urbes:
Nunc Italas veterum monumenta notata per oras,
Nunc facile hiſtorias ex omni promeret ævo,
Ingenio aut rerum naturam evolveret acri.
Hæc ſubeunt, media atque inter ſuſpiria fruſtra
Sæpe oculis, animoque Hoffmannum quæris ademtum.
Mens invicta malis tamen hunc haud ſuſtinet ictum
Molliter ; atque doles dignum ut ſapiente, bonoque eſt.
Nam ratio, docuitque dies, uſuſque magiſter
Quid fatum aut fortuna ferat, quem ludere ludum
Geſtiat, atque ægri mortalis quæ ſit origo,
Quæ finis : nec te Veneta modo vidimus urbe

Cu-

Curare advectas diverſo ex æquore merces;
At doctis gaudere viris, gaudere libellis,
Quos Wolffii in primis peperit ſapientia dia.
Ac ne tempus opem ferat, ultro vulnus acerbum
Conſilio, & virtute levas. nec jam uſque fruendum
Aut Norimbergæ dederat natura, Deuſque,
Aut tibi nec patriam quas viſit ſedulus urbes
Duxit, nec vitam, Veneto quam littore tecum
Exegit concors, quam deinde Antenoris arce.
Atque illum Elyſii nemoris per amœna vireta
Errantem cum fratre, libens cui præbuit aurem
Weſtfalia, haud revocet pietas, lacrymæque ſeniles,
Tartinive tui Iſmario lyra blandior Orpheo.
Ergo non fletu Conrado funus inani
Sigiſmunde paras: ſed ſacro e vertice Pindi
Muſas rite vocas, vateſque ad triſte ſepulcrum.
Hi recinent nomenque viri, cultumque per artes
Palladis ingenium; græcæ quæ copia linguæ,
Illius aut quæ audita prius Jordanis ad undam;
Quod rerum ſtudium, veri qui cultus & æqui.
Jam niveos cœlo mores, ſanctumque pudorem
Laudibus æquabunt, ignarum fraudis avaræ
Pectus, amicitiæ ſacrata & jura, fidemque,
Tutaſque, arcanum ſi quis deponeret, aures.

Has

Has pius inferias , hæc mittis amicus amico
Munera , quæ laudet Boruſſia , nec ſine fletu
Norimberga legat ; gemino & lætetur alumno ,
Atque diu veſtrum memoret Germania fœdus.
O qui me rapuit juvenem , ſi ſpiritus ille
Ferret adhuc volucrem pennis Helicona per altum ,
Non mihi Conradus , non tu illaudatus abires.
Nunc cum Galvanus , noſtrum jucundus utrique
Galvanus mœrens te Hoffmannum ſcribat ademtum
Lugere : hoc ſaltem officii ſolviſſe , tuoque
Sigiſmunde fatis fuerit doluiſſe dolore.

De Laurea Vucetini adoleſcentis.

VIdit bella procul , violentaque Delius arma :
Serta , Deæ , Marti , ſerta parentur , ait.
Ite , triumphali victricia cingite lauro
Signa , coronatis duxque vehatur equis.
Undaque Sebeti palmas , & flumina Rheni
Læta ſuas videant , Eridanuſque ſuas.
Hæc Phœbus. tum Calliope ſic aurea contra :
Parce , precor , dixit ; dira quid arma foves?
Heu tela , heu Muſis nimium fatalia quondam !
Hæc quoque nos iterum , Phœbe , procella petit.

Me-

Mene feras acies , & ſtrictos ire per enſes?
    En laurus. labor hic , curaque Martis erit.
Italiæ ſi fata jubent , vocet agmina Mavors,
    Mincius & tumidis ſanguine currat aquis.
Alpibus inſignis galea deſcendat , & alta
    Mercius ardenti flumina vincat equo.
Inſtet & Eugenius Gallis fugientibus illa,
    Quam ſenſit toties Thracia victa , manu.
Otia nos , tacitique juvent Helicone receſſus:
    Hic procul a caſtris arma viroſque canam.
Hinc veniam ſecura tuas , Antenor , in arces:
    O decus , o ſacris artibus apta domus!
Illa ſibi lauros & carmen , Phœbe , juventus
    Rite petit. caſtris militat illa tuis.
Aſpice Joannem , quo nunc ſe pulvere jactat:
    Fronde tua felix hic tibi miles eat.
Ingeniis late illa ferax Vicetia mater
    Hunc nobis aluit collibus alta ſuis.
Hic amor Aſtrææ. non illis fontibus alter
    Fœcundas juvenis largius hauſit aquas.
Quid memorem lumenque animi , & par legibus almis
    Conſilium? puro in pectore quidve fidem?
Conſiliis , magnæque piis ſtant legibus urbes.
    Ne mihi ne ſævos obiice , Rhene , duces,

De-

Deſierat Virgo : Deus annuit : illa per auras
Læta volans capiti laurea ſerta dedit.

De Laurea Græci adoleſcentis.

DUm rauci ſinus Adriæ
Horret Threiciis late Aquilonibus,
Et vertens Notus æquora
Luctatur celeri fervidus Africo
Ingratas quereris moras:
Mox veris comitem lenis ut Æolus
Antro mittet Japyga
Sacrum Pieria fronde Georgium
Navis dulce feres onus,
Reddeſque incolumem finibus Atticis
Felix merce nova : ut ratis, . .
Quæ vexit reducem Colchide Jaſona.
Illum ſeu fide Lesbia
Et Phœbi numeris luſit amabiles
Inter Pieridum choros,
Seu grandi eloquio fortior aurei
Vires extulit ingeni,
Diis carum ; & Themidis munere nobilem
Oſtendes populo, & ſuis.
Jam Ledæ pueri, lucida ſidera,

Græ-

Græcis quos tulit inſulis
Mater , fida tuis æquora navitis ,
Argivo & juveni parant ;
Ut dignum veteri Græcia nomine
Lumen grande Georgium ,
Et priſcæ videat laudis imaginem .

De Nuptiis Franciſci Papafavii & Catharinæ Antonini.

QUales per altum conjuge Peleo
Videre lætam Nereides Thetin ,
Triſte unde Trojanis cubile
Æacidem peperit ferocem ;
Sic & pudici lætitiam tori ,
Tædaſque facras , & niveam fidem
Mirantur , æternumque fœdus
Medoacus , juveneſque Nymphæ ;
Dum Nupta prodit nobilis inclyto
Felix Marito , quem vigor indolis ,
Ætaſque , quem mores , opeſque ,
Et tituli decorant aviti .
Non ſola terris Penelope vagi
Uxor ſuperſtes vivet Ulyſſei ,

b50

Admeti & Alceſte pudica,
Proque viro peritura conjux.
Me vate, claras hæc quoque conjuges
Feretur inter; quam genus eximit
Vulgo, verecundaſque lætæ
Frontis honos, animique virtus.
Illam Cupido leniter, & jocus
Alis renidens circuit aureis;
Et Gratias inter decentes
Fert tremulos Hymenæus ignes.
Idamque, & altam deſeruit Venus
Cypron columbis vecta volucribus;
Limenque ſertis nuptiale
Spargere amat, viridique myrto.
Leni ſuſurro gaudet, & aſperos
Odit tumultus, nunc quoque devovens
Irata Centauros protervos,
Et Lapithas, calidamque rixam.
Audaxne dulces (heu pudor!) Eurythus
Fœdavit atro ſanguine nuptias?
Inſanus & nuptam prehenſis
Hippodamen rapuit capillis?
Heu dira cædes! pocula Theſeus
Ardens in hoſtem dirigit; ilicet

Ca-

Cadoſque, & everſis lebetas
Aſpiceres volitare menſis.
Immanis inſtat Rhætus & Hippaſus,
Dryaſque & Orneus; pars rapit igneos
Torres, lucernis alter urget,
Pars rapido movet arma ſaxo.
Quo Muſa tendis? deſine barbarum
Referre morem. Dic, age, Conjuges,
Et fata recludens Deorum
Egregios meditare Natos.

De puellâ Inſtitutum D. Franciſci Saleſii profitente.

INteger vitæ, ſceleriſque purus
Non fero cultu nemorum, nec altâ
Rupe, non terris eget æſtuoſis
Litoris Afri.
Ille nec triſti glacie rigentem
Caucaſum late, Scythiamque viſat
Exul, Ægypti neque ſe remotas
Abdat in oras;
Qua ſinu præceps in utrumque curvo
Decidit vallis latus, & minaci

Deſuper ſaxo nemoroſa circum
Thebais horret.

Thebais duros toties opacis
Incolas vidit taciturna ſylvis,
Aſpĕrum & vitæ genus (heu!) leones
Inter & urſos.

Pallidam vidit maciem, piaſque
Lacrymas paſſim, vigileſque noctes
Et ſuperfuſo ſtupuit cruentas
Sanguine cautes;

Dum ſenum cœtus, juvenumque in aſtra
Arduum vincunt iter, atque parvam
Corvus annonam, tenuemque victum
Sylva miniſtrat.

Læta ſeceſſu nemorum ſilentum
Ecquid apricis ſterileſcit agris
Ferre maturos pietas, fideſque
Neſcia fructus?

Huc ades vultu facili, o Genevæ
Lenis Antiſtes; duce quo per urbes
Blandior virtus fugitiva cæcis
Riſit ab antris.

Pectus & ſimplex niveique mores,
Grata paupertas, pudor & malignæ

Ab-

Abſtinens fraudis, ſuperumque ſacris
Dedita cura

Floruit, ſeu qua Rhodanus ſiniſtris
Anneſi longe videt arva ripis,
Sive qua Turrus, liquiduſve lambit
Rura Timavus.

Virgines Te rite colunt pudicæ,
Virginum ſurgit tibi germen inſtar
Arboris, quam ſol fovet, unda nutrit,
Educat aura.

Te patrem multa prece, te magiſtrum
Devocant cœlo, ſtudiiſque fervent
Callidæ, quidquid placuit benignis
Vincere votis.

Tu ſimul natas nebula nitenti
Septus inviſis; fugit atra cura
Fugiunt hoſtes, domus & beata
Luce renidet.

O libens caſtam, teneris in annis
Ima cui tellus, levis & voluptas
Sordet, amplexu foveas amico,
Dive, puellam.

654

Ad Joſephum Farſetium
de morte Antonii de Luca.

HEu factum male! Cycnus, ille cycnus
Ad puras Heliconis altus undas,
Tibi quem Aonides dedere amandum,
Farſeti Aonidum decuſque amorque,
Suavi gutture, candidiſque plumis;
Tecum ludere dulce qui ſolebat,
Lætos auſpicio & ciere cantus;
Heu factum male! Cycnus, ille cycnus
Æternum, miſer heu! ſilebit. at vos
(Iratis quoniam hoc Diis amicum)
Bubones nitidum diem peroſi,
Picæ garrulæ, & upupæ paluſtres,
Corvique, & cuculi interim valete.

Ad Carolum Gozium.

GOzi floſcule, Gozi ocelle vatum,
Cui linguæ venus & lepos Etruſcæ
Leni ex ore fluit malos poetas
Gaudenti ſale perfricare multo;

Ur-

Urges officioſus , atque blanda
Balborum genus inclytum puellam
Commendas prece non malis poetis :
Candore ut niteat perinde carmen,
Lacte ut purior illa liliiſque
Cœtus virgineos renidet inter:
Illam os atque oculi ut decent modeſti,
Ut ſimplex tunica , atque menſa ſimplex ,
Sic & verſiculis decus pudorque
Adſit , nil tumidum , nihil ſit audax ,
Et nugis careant , inaniiſque.
Fugit te ratio. an patere dudum
Neſcis hoc ſtadium malis poetis,
Totum quod rapidis vorent quadrigis?
Bonorum hic piger ; odit ille trita
Argumenta ; ſenex hic arma fixit;
Non tempus vacuum alteri ; horret alter
Miſceri Baviiſque Mæviiſque,
Et ſæclo tacet hoſtis inficeto.
Eheu pagina , crede , lenta ſurget,
Paucique , & graciles , & indiſerti
Balborum genus inclytum puellam
Laudabunt tibi. Quare ocelle vatum,
Si quid jam meditaris urbi amicum,

Quod

Quod Zattæ Albritiique prælа vincat,
Quod aures ſonitu impleat capaces,
In rem conſule ; gratiaque ſarta
Junge o fœdera cum malis poetis.

Ad Leonardum Marcellotum de Vidimana puella.

NEc mi cruſtula poſco , nec placentas,
Nec dulces , Leonarde , potiones,
Quidquid mollium & eſt cupediorum.
Aurum temnere ſi tenella Virgo,
Et gemmas potuit , Vidimanumque
Mixtum Rezonico genus ; quid offas;
Quid bellaria , lacteaſque pultes
Vel hercle unius æſtimem teruncі?
Eſt nobis minime guloſa Muſa.
Quod vatis pretium? Oro , dic Puellæ;
Cum pura prece , moribuſque puris
Summo devocat Angelos Olympo,
Dum pectus cupidi advolare circum
Ludunt cum facula aureiſque telis,
Cœli & munera deſerunt roganti,
Sit quandoque ſui memor poetæ.

Ad

Ad eundem
De Ludovico Rezonico Eq. ac D. Marci Procuratore.

ORator malus, & malus poeta
In laudes Ludovici ut ora ſolvam
Vis demum, Leonarde, amice & urges.
Hoc, quæſo, ingenii eſt, tuæque naris?
Dignum principis hoc viri triumpho,
Hoc ſancto patruo, optima & parente,
Magna & conjuge, fratribuſque magnis?
Nempe hoc tenuiculo ſtilo inficetus
Scribam quæ Venetus legat Senatus,
Quæ Romæ placeant, Bononiæque?
Dicam magnanimum, piumque, & æqum?
Dicam Pontificis, Quiritiumque
Hinc dona, hinc titulos in æde Marci?
Rogandus tibi Rhetor ille mirus,
Fulcit qui eloquium ſuis lacertis:
Rogandus quoque mirus ille vates,
Cui ſordent veteres, novique vates.
Hæ nubes aquilæ ſimul ſecarint,
Contractis latitabo ut anſer alis
Orator malus, & malus poeta.

Ad Rezonicos Fratres
Carolum Card. & Ludovicum Eq. ac. D. Marci
Procuratorem.

QUi Petri hinc ſacro, qui Marci hinc limine fulges,
Frater ades votis lenis utreque meis.
Non doleo quod Mæcenas mihi friget, & ille
Atque hic pollicitus ſæpe negavit opem:
Quod fortuna potens nunc hos, nunc extulit illos:
Quod tenet ignavum pinguia prata pecus.
Sermo verecundus, fateor, moreſque pudici,
Inque meis ſtudiis vita ſepulta nocet.
Non me garrulitas commendat, & illita nugis
Charta; nec urbanis gratia parta jocis.
Errat at interea mediis mihi navis in undis,
Imminet ætatis jamque ſenilis hyems.
Tu Caſtor Ludovice mihi, tu Carole Pollux:
Vos aliquo in portu ſiſtite, quæſo, ratem.

Ad Jo. Nicolaum Villabrunam.

PUſillam catulam, nec invenuſtam,
Fidelem, docilemque, blandulamque,

Li-

Libens accipe nuptiale donum
Villabruna tui Maroſticenſis:
Cuſtos quæ thalamo accubet pudico
Noctes atque dies pudica & ipſa:
Nunc inter Charites, Cupidineſque
Ludens gaudeat adſilire Nuptæ,
Et ſummis rapere oſculum e labellis:
Nunc & languidulum caput reclinans,
Natanteſque oculos ſopore condens
In molli gremio ſe amet foveri:
Mox læto comes hæreat latratu
Viſenti, ut ſolet, optimas ſorores.
Quin luſus pueris erit tenellis
(Lucina o propera) qui avi ſerenam
Frontem, qui ingeniumque & os diſertum
Avi Paſeoli, aureoſque mores
Villabruna tibi, mihique reddant.

Caput gypſeum M. T. Ciceronis
apud Philippum Farſetium.

TUne ille a teneris mihi unus annis
Amor, deliciumque, Marce Tulli?
Hic fronti, hic oculis honos, geniſque?

Hoc

Hoc os , aureus unde fluxit amnis?
Sic vultum potuit referre plaſtes
Volventis tacitos graveſque ſenſus,
Ut credam prope cogitare gypſum?
At nondum potui (heu piget laborum!)
Veras eloquii levi vel umbra
Inſelix ego lineare formas?

99 945245